



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXXIX. Corona spinea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

O purissima & sacratissima Dei Mater, quæ concepisti hoc sacratissimum corpus, ut laniaretur pro me; & nutritivisti purissimo sanguine pectoris tui, ut spargeretur pro me; & plus aliis omnibus de ejus virtute participasti; misere pauperis hujus, & ulcerosi peccatoris. Impetra mihi, Domina, intimum sensum dolorum Unigeniti tui, imitationem exemplorum ejus, odium peccatorum meorum, quæ fuerunt ei causa tanti supplicii; & ut me perfecte ipsi dedam, ne in me frustra sint ea, quæ pro me pertulit sua divina majestas.

O Curia cælestis, quæ semper es irrigata his fontibus, & ab his plagis habes omnem pulchritudinem tuam, & ab his aquis vivis omnibus bonis abundas; adjuva hunc pauperulum; ama, lauda, magnifica pro me hunc Dominum; & quia per meam ruditatem id ipse nescio facere, supple tu luce & amore tuo, quo flagras; & impetra mihi ab eo vel unam scintillam, quæ ardeat in isto corde, donec me totum consumat, ac mutet in ipsum. Amen.

ÆRV MNA XXXIX.

Corona Spinea.

I.



Arnifices, tum ex fatigatione, cum quod nihil in toto corpore Domini viderent integrum, cessantes à flagellatione, solverunt eum à columna, undique manantem sanguine, ac dum circuit quærens vestimenta sua, novis doloribus affectum à frigida aura (neque enim statim vestes invenit, petulantia militum eas huc illuc jactante, non sine spurcissimis jocis) obivit locum innocens agnus magna cum mansuetudine, modestia, & patientia, donec repertis vestibus se rursus indueret. Et quamvis ita miserabilem in modum affectus esset, ut crudelissimum quemque ad miserationem posset movere; tamen sic carnifices urforum instar, & efferatorum luporum velut inescati sanguine, novum, & usque in eam diem inauditum tormenti genus excogitaverunt; ut etiam in illis appareat indoles peccati, semel impudenter, & cum voluptate commissi,

Iii 3

quæ

quâ semper solet excitare famem, ac desiderium committendi plura; nec satiatur, licet natura peccando sit fessa; sed appetit semper plura, quam perficere possit humana conditio. Ut proinde sit unum è majoribus deceptionibus peccantium, quâ satisfaciunt tentationi, ut ab ea se liberent; cum potius eam accendant. Quia, ut Sanctus Gregorius dicit, peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit; & anima peccando privata gratiâ Dei, perdidit vires ad resistendum, corpus autem minus aptum est ad reprimendos appetitus, cum sine freno ruit in voluptatem peccando semel gustatam. Sic infelices hi carnifices plena libertate potiti ad vexandum Christum, perdidērunt omnem sensum compassionis humanæ, ut etiam fessi non satiarentur, infernalium spirituum malitiam imitando, & feritatem brutorum induendo.

Corona spinosa.

II. Judæi Christum accusaverant, quod se regem fecerit, contra decreta Imperatorum. Pilatus id pro nihilo duxit, quod facile refutandum putaret, si eum ut vile mancipium flagellari curaret, per hoc infamem, & inhabilem factum ad officia etiam infima in republica; ut nulla proinde regni affectati ab illo posset esse suspicio. Nihilominus milites occasione hujus falsi criminis, ut ludicrum populo spectaculum facerent, eum tanquam personatum regem voluerunt exponere ad ludibrium. Denuo igitur exuentes eum, chlamyde coccinea circumdederunt, utique non recente & munda, ne contaminaretur sanguine; sed obsoleta, & fortè calceis purgandis jam deformata, sic tamen, ut ex colore agnosceretur fuisse purpura; & plectentes coronam, aut potius pileum, è spinis præduris & magnis, quales oriuntur è cedro, & hodièque religiosè servantur inter sacras reliquias, posuerunt super caput ejus; imò baculis vel cannis incusserunt & adegerunt, ut spinæ penetrarent usque ad ossa, & ex alia rursus parte exirent, supra oculos & per tempora; quæ autem in nervos impactæ sunt, intraverunt profundè, ut per novos ac multiplices rivus undique deflueret sanguis, dolore terribili. Nam vel hoc solo tormento potuisset occidi, nisi divina virtute fuisset servatus ad crucem. Duraverunt autem isti dolores, usque dum exspiraret, spinis continuò facientibus crudele officium suum in pungendo

Inter summos cruciatus Christus

gendo capite, quod in humano corpore tam delicatum est, ut nisi *vuci ser-*
dematur causa, dolere non cesset. Consideret hoc parùm, qui *vatur.*
aliquando sensit capitis dolores in morbo, quis fuerit sensus Chri-
sti inter alia tormenta, quæ passus est, usque dum emitteret spiri-
tum, sine omni remissione gravissimorum dolorum capitis, &
confortatione. Sine dubio, qui bene perpenderit, è sola imagi-
natione deficiet animo: sed quid est imaginatio ad rem ipsam?

III. Inter ista Dominus multas lacrimas fundebat pro no-
stris peccatis, dolendo non tam de spinis, quàm de damnis, quæ *Plus dolens*
proveniunt nobis à rebus terrenis, quibus nos coronamus & su- *illi peccata*
perbimus. Currebant hæ lacrimæ pretiosissimæ & miscebantur *nostra,*
cum sanguine; unde fiebat unguentum nobilissimum pro nostris *quàm spina,*
plagis internis. Res, quæ attonitum faciat considerantem, quo-
modo immensa teneritudo Patris æterni sustinuerit videre Unige-
nitum suum pati tam horribilia, quem infinito amore comple-
ctebatur. Sed quemadmodum idem ignis amoris ardebat in Chri-
sto patiente, qui in Patre, illum pati iubente; ita tunc magis re-
spiciebat nostra peccata, propter quæ indigebamus hac passione,
quàm dolores ac tormenta, quæ patiebatur innocens Agnus. Et
quamvis multò minùs fuisset satis pro nostro remedio; non ta-
men id satis fuisset demonstrando amor, quem erga nos habet.
O igitur intolerabilem nostram duritiam, cui necdum sufficiunt
hæc omnia, ut eum amemus ex toto, ac deseramus peccata, quæ
tantos dolores intulerunt divino Agnello, quæque divino fan-
guine & lacrimis desiderabat sanare! Neque his contenti crudeles *Arundine*
carnifices, pro sceptro seu virga aurea, qualem Reges gestabant, *illudatur,*
in majus ludibrium Domini, posuerunt arundinem in dextra ejus,
ad ostendendam vanitatem regni ipsius: & sic ornato multis mo-
dis illuserunt; de quo postea.

IV. Multæ gravissimæ causæ notantur à sanctis, cur Chri- *Lacerantur*
stus voluerit subire hoc inusitatum genus crudelissimi tormenti. *membra*
Prima est, quia totam suam naturam corpoream obtulerat ad pa- *propter pec-*
tiendum pro nobis, & satisfaciendum qualibet ejus parte pro pec- *cata mem-*
catis, quæ patramus membris nostri corporis: caro lacerata est *brorum no-*
flagris, nervi distendendi in cruce, non debuit caput esse im- *strorum.*
mune,

mune, quod ut sedes est omnium sensuum, & instrumentum intellectus in usu rationis, consilii, iudicii, approbandi res & improbandi; sic etiam Dominus voluit pati unum è præcipuis tormentis, quo cruciarentur omnes sensus, & elueretur, quidquid illis peccamus. Nescio, an Christus voluerit simul ostendere nobis, quàm veræ spinæ animæ sint consilia, iudicia, ac decreta contra legem ac doctrinam suam. Caput est regimen totius hominis, qui cum transgreditur leges divinas, quò securiùs incedere se putat, eò longiùs errat: & quantò meliùs sibi esse existimat, tantò miseriorem habet animam, & vias ad cælum impeditiores. Quod minatur DEUS per Oseam: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non invenies.* Non sunt aliud hæ spinæ, quàm difficultates & molestiæ, quas viis nostris perversis immittunt mala nostra consilia: nam hæ reddunt nobis iter ad salutem ita difficile & periculosum, ut ægrè confici possit. Declinantes enim suave regimen legis atque doctrinæ Domini, in qua omnia conducunt ad quietem animæ, refrigerium Spiritûs, & amorem proximi; necessariò incidimus in perturbationem & inquietitudinem animi, res adversas & pericula conscientiæ, aliâque incommoda gravia: quæ nisi corrigantur ad normam legis divinæ, demum deducunt ab una ærumna in aliam, à peccatis in peccata, quæ suffocant animam. Hæ spinæ, quæ oriuntur ex nostro capite, & ingenio humano separato à Deo, diris modis pungunt Christum. Attendat igitur quisque sibi, & videat quantum mali inferat animæ suæ.

Spina peccatorum

V. Sanctus Cyprianus in declaratione symboli notat aliam causam hujus tormenti: & est ista, quòd DEUS pro sua immensa bonitate voluerit spinas, quas Adamo dedit in pœnam sui peccati, vertere in coronam. Peccatum in Paradiso fuit in obedientia, cujus quia non statim illum pœnituit, ut imploraret misericordiam DEI, quem offenderat, in pœnam non tantum è Paradiso fuit ejectus, cujus deliciis nescierat uti, sine labore obediendo creatori; sed etiam ipse cum tota posteritate coactus tolerare vitam in sudore vultûs sui, terram colendo, pro frugibus collecturus spinas ac tribulos. Quod experimur omnes in miserabili corpore

corpore nostro, & animâ incarceratâ in illo: neque solùm in terra hanc difficultatem, & in bonis temporalibus, ut malignè respondeant nostro labori; sed multo majorem in perturbatione & rebellionem carnis contra spiritum; & in tentationibus, per quas inimici animæ nostræ non sinunt nos cum perfecto gustu gaudere fructibus Spiritûs sancti. Ut ergo Dominus hanc pœnam spinarum converteret in majus bonum nostrum, voluit ipsè coronari spinis, ut à sanctissimo capite suo traherent valorem ac pretium; neque jam solùm essent pœna peccati, sed etiam occasio & materia meritorum & gloriæ. Verè enim suis doloribus sanctificavit nostros, ut certi simus, ea, quæ pœna & probrum nostrum fuerant, jam esse decora nostra, & securiorem viam in cælum. Rebelliones carnis contra spiritum, quæ servis Dei tantum creant fastidii, virtute passionis Domini sunt illis occasio pugnæ, victoriæ, meritorum, coronæ & gloriæ. Et si sunt occasio lapsuum, hoc ipso justior est causa resistendi, & gloriosior victoria; si anima, cum posset molestiam pugnæ redimere consensu, maluerit amore Dei, & mandatorum ejus generosè pugnare, liberè abstinens oblatâ voluptate: quod cum Deus magni faciat, remuneratur gloriâ aternâ; non facturus, si tentationes hæ forent mera supplicia. Nemo enim remuneratur sustinentem promeritas pœnas. Sed Deus cum hoc exilium (ad quod sumus in Adamo damnati) vellet facere palæstram pro obtinenda corona cælesti, voluit etiam certamen esse gloriosum, quo multum promeremur, abolito pudore supplicii; & eidem pretium addidit à sua persona, ut plus passus, plus etiam honoris consequatur & præmii. Quod si non ita esset, remissio per baptismum peccato originali, etiam remisisset pœnam: quam inrogari post culpam perfectè condonatam, non satis consonaret justitiæ: & Christus, qui sine omni peccato est natus, fuisset immunis à miseriis nostris; quas ita subiit, ut eadem quasi monetâ, quâ satisfecit ipse pro nostro debito, emeremus nobis ipsi regnum cælesti. Nec major felicitas & gratia nobis in tanta pauperie nostra potest obvenire, quam si plurimum ejus monetæ, hoc est, tribulationum de manu Dei consequamur, ad augendos in cælo thesauros: quod totum est beneficium coronæ spineæ & passionis Domini.

Ne sub spi-
noſo capite
ſi mem-
brum deli-
catum!

VI. Pudeat ergo, ut S. Bernardus ait, ſub capite ſpinis coronato, membrum eſſe delicatum. Priuſquam Dominus noſter coronaretur ſpinis, toto corpore fuit flagris conciſus: quia conveniebant capiti tam melle tractato, membra non mitius habita: cumque ille ſit caput Eccleſiæ, nos membra; indecens eſſet ullum e membris delicate tractari, quando caput eſt tanta peſſum. Quem verò pudet illum imitari, eius etiam Chriſtum pudebit, ut eum pro ſuo membro agnoſcat. Sunt animalia, quæ ut caput ſuum ſeruent illaſum, omnes partes reliqui corporis exponant periculo; quod multò magis conveniebat, ut nos exciperemur ſpinis; & caput noſtrum, Chriſtus, eſſet immune. Poſteaquam verò dignata eſt ſua divina majeſtas pati pro nobis, quanta foret ſtultitia, cogitare illum, qui noſtrum caput eſt, ſpinis coronandum eſſe, membris autem dandam omnem licentiam indulgendi ſuis corporibus?

Quale pro
ſi caput
noſtrum
non agno-
ſcit.

Eritne poſſibile, ut capiat intellectus humanus, Chriſtum e facie deformata, oculis tumentibus a fletu pro noſtris peccatis, genis lividis, capite ſpinis coronato, agnoſci velle pro amantiffimo Patre, veriſſimo Amico, piiffimo Redemptore, & exinde cognoſci verum, purum, & infinitum amorem cordis ſui divini; & tamen pro ſuo habere eum, qui totà vità ſuà nihil cogitat, niſi delicias & favores mundanos, recreationes, libertatem ſenſuum cum perpetua oblivione animæ, & tam grandium beneficiorum Dei? poteritne mens ulla capere, tam diligentem paſtorem animarum dare ſuis ovibus amplam licentiam, tranſigendi vitam in voluptatibus & recreationibus? atqui ſapientia Chriſti docet, ſervum non eſſe majorem Domino ſuo. Qui ergo non vult errare graviffimè, ſuas res iſtituat ad exemplum ſpineæ coronæ ſuæ divinæ Majeſtatis.

E X E R C I T I U M

Circa coronam ſpineam.

I.

Chriſtus
Vulneribus

A Doro te, meum verum Regem: adoro te, meum ſupremum Dominum: adoro te cum his omnibus plagis, quas accepisti

cepisti ad meas curandas: adoro te nudum & pudibundum; ^{quia nostra} quia sic voluisti tractari, ut me vestibus & honore circumdares. ^{sanat.} Satis fuisset, Domine, sanguis, qui profluit ex toto corpore, sine eo, quem emititis à sanctissimo tuo capite. An fortasse, Deus animæ meæ, non poterat mihi prodesse tuum caput, nisi torqueretur pro me peculiari, novo, & crudelissimo modo? totum vis configi spinis, & affici doloribus acerbissimis, & manare tot rivis sanguinis, quot vulnera faciunt spinæ. Vis, divine Agnelle, pulcherrimam faciem tuam obduci sanguine, ut à capite ad calcem videaris unica plaga aperta pro anima mea, & remedio miseriarum mearum. Adoro te, Deus ac Domine animæ meæ: adoro hunc amorem divinum, quem erga me geris. Infinitas tibi gratias ago pro tot ac tantis miserationibus tuis, & pro tot signis evidentibus amicitiae tuæ mihi toties datis. Penetra, mi bone Jesu, cor meum cum his spinis: prodeant à sacratissimo tuo capite, ardentes à sanguine & amore, ut hic me inflammet, & consumat, ac totum convertat in se.

II. O amor animæ meæ! utinam tandem agnoscerem, ^{Extra ejus} quàm malè impendatur, quidquid non impenditur tibi! Quando ^{servitum} veniet illa hora, in qua ex toto corde, & intimo hujus animæ te ^{omnia per-} amem, & mea perfecta felicitas? & fidelissimè respondeam huic ^{ditæ,} amori tuo, me totum ipsi impendam, & in eo consumar pro te, mi dulcis Jesu? Ad quid nisi vita, corpus, anima, & omnis res alia, si non ardeant omnia semper in tuo amore, & in obsequiis tuis; quia tu solus, ô Jesu animæ meæ, cor istud mereris? Talis es tu, Domine, in omni re semper similis tibi ipsi; totus amabilis, totus liberalis, totus plenus misericordiâ, totus impensus meæ salutis. Et ego sum, qualem vides etiam semper similis mihi ipsi; in omni re miserabilis, pauper, tepidus, durus, frigidus in amore tuo, amans meipsum & immemor tui. O benignitas! ô misericordia! ô liberalitas! ô torrens abundans omni bono & gratiâ, recordare mei, neque me projicias!

III. Præcipua pars corporis, Domine, quâ cognoscimur ^{In illo vitæ,} ac dignoscimur, caput est; in quo facies, omnes sensus, instru- ^{& salus} menta vitæ & conversationis, pulchritudo, deformitas, prima ^{nostra,}

signa & flos lætitiæ vel tristiæ, afflictionis vel timoris, sanitatis vel ægritudinis, & omnium affectuum animæ. Hanc tu voluisti, Deus meus, transfigi spinis, & faciem cruentari. Per hanc ô pulcherrime Jesu, suavissime sponse animæ meæ! voluisti cognosci, ac dignosci ab omnibus aliis: per hæc signa voluisti intelligi, quid agatur in corde tuo: amorem, quo ardet: ægritudinem ex desiderio meæ salutis, mei profectus, meæ unionis tecum. In ea vis nos agnoscere, te nulla re delectari, quàm ut beneficiis, & operibus amoris rapiamur ad te. O quantò magis rapit corda, tuo amore tacta, hic sanguis fluens per barbam & genas, & caput spinis diro dolore transfixum, quàm si pretiosissimis gemmis coronatum fulgeret. Divitiæ, coronæ terrenæ dant solum, quod habent, bona terrena: sed hi tui dolores ac spinæ replent animas suavitate, ac opibus spiritualibus, & adstringunt eas tibi nodis infiniti amoris. O speculum gloriæ, qui te nunquam dimitteret è conspectu! qui semper te sequeretur oculis ac desideriis animæ! Ex isto capite spinis confixo ego vivo, ex eo respiro, ex eo me sustento: in eo solo me intueor: ejus cum obliviscor, pereor. In eo adoro eum, qui est mea vita, mea gloria, satietas & satisfactio hujus animæ.

Spinæ

*Ad am præ
iosas red-
dit,*

IV. In terra quæri solent metalla, & lapides pretiosiores, pro coronis Regum: & tu, bone Jesu, nihil invenisti in ea pretiosius pro tua corona, quàm spinas: ô Rex meus, Rex gloriæ, Rex animarum redemptarum tuo sanguine! nempe me ditare voluisti, dum spinis, re maximè communi & obvia voluisti coronari, ut eis pretium & valorem dares, tactu sacratissimi capitis tui, quæ fuerunt Adamo pro supplicio, & eo quidem justissimo, ut sudoris sui fructum pro pane spinas haberet, ærumnas ac dolores pro deliciis & voluptate. Nunc autem spinas imponis capiti, & omnia in meum bonum convertis; facisque ditiores & gloriosiores fructus spinarum, sudoris & ærumnarum, quàm sint omnia, quæ desiderari possunt in hac vita. Tu, Domine, æstimas meas misérias, & iis te coronas, ut à te pretium acquirant. Quid ergò queri possum, Deus meus, quando me video affligi, cum te videam coronatum meis ærumnis? ô divine amor! ô charitas æterna! quæ sic ordinasti in meum bonum, ut pauper esse non possit, qui multas
habet

*Ærumnas
in divitias
vertit.*

habet ærumnas, quas fert tui amore! & jam in cælo magnificat, quod prius horrebatur in terra. Benedictus sis semper Deus animæ meæ!

V. O me miserum! cui necdum sufficiunt hæc omnia, ut cum gaudio aliquid pro te patiar, affligar in hac vita, & sustineam injurias, ut tibi assimiler: sed contristor adversis, cum ingruunt; horreo, dum durant; lætor cum abeunt, & cogito mihi esse melius, quando me prorsus dimittant. Quando, Deus meus, mutabis igne tui amoris miseriam hujus abominabilis carnis? vanitates, quas jacto; vilitates, quibus glorior. ô quantum distant ab eo, quod in te video, DEUS meus! superbia exultationis propriæ, delectatio laudis humanæ, fumi rerum hujus mundi, qui me ludificant, quàm me diversum à te faciunt, mi bone JESU! omnis mea cogitatio versatur in corpore, in sustentanda vanitate, & voluptatibus hujus vitæ, ut perdam fructum tuarum spinarum. O DEUS meus, & misericordia infinita, condona mihi meam miserabilem superbiam. Pudet me videre id, quo tu coronaris, nec pudet me facere meam voluntatem, & sequi delectationes corporis. Quando sine contradictione possum facere, quod mihi placet; quando mei appetitus liberè sine freno procedunt; quando à multis honoror, & omnia pro voto succedunt, tum acquiesco, mille vanitates cogitando: tunc me reputo hominem, & evanesco in meis cogitationibus: & tamen verè tunc sum cæcus, nec video, quàm sim fœdus, & miserabilis in oculis tuis. O quando, Domine mi, odio habebo meipsum? quando satis pudebit me mei ante te? nam te spinis coronato, ego illas averfor, & amo vanitates mundi, carnis ac terræ.

VI. Quomodo possum, DEUS meus, membrum esse hujus capitis pleni spinis, ego in amore deliciarum, libertate carnis, & meis vanitatibus? Averte, Domine mi, oculos meos, ne videant vanitatem hujus vitæ, sed defigantur in te: doce me comparare me tibi, & erubescere. Tu, bone JESU, qui perfectè cognoscis intimam uniuscujusque, aspice me piis oculis tuis, & eradica ex hoc miserabili corde amorem & affectum omnium, quæ tibi non placent, per immensam bonitatem, & misericordiam tuam. Non per-

mittas, ut probem desideria & appetitus meos; doce me, ut me cognoscam & iudicem secundum te, & condemnem oderimque meipsum, ut mereor. Corona me, dulcissime Jesu, spinis tuis: fac ut verè gloria mea sit coronari spinis, & affligi tecum: quia tecum conjunctus esse non possum, nisi tibi sim similis.

*Exequium
propositi*

VII. Confiteor meam miseriam, Jesu animæ meæ, quod licet quotidie proponam te sequi, cum desiderio videndi in me, quod adoro in te, & me quotidie offeram in tuas manus; tamen quando venit occasio, monstrandi me fidelem & constantem tui imitorem, non respondeam propositis, sed me subducam, & captus à meipso, inuolem in tuas manus, ut eam juxta id, quod miserabilis hæc terra me docet. O spes animæ meæ, & mi bone ac dulcissime Jesu! tu qui solus intueris vanitatem, quæ est in hac anima, suscipe desiderium, quod nunc habeo & fac me similem tibi, & perfectum imitorem tuum, osorem mei ipsius: & id, quod in me vides istis contrarium, ordina tu, Deus meus, juxta voluntatem tuam: ac licet mea caro sentiat ac resistat, utere mecum, Domine, hæc magnâ misericordiâ, ne sinas eam facere suo modo, etiam si opus sit violentiâ, ut afflictus humi trahar & rapter: etiam si gemam, trahe me post te, ne unquam exeant ex hac anima spinæ tuæ, donec addiscam iis me coronare & gloriari. Perfice, Deus meus, opus tuum, licet mea infirmitas id sentiat ac resistat: quia tu es divina fortitudo, quæ potes ac scis corroborare infirmitates nostras.

*Spinarum,
& cruce
fructum
comparat.*

O sanctissima Dei Mater perfecta imitatrix Domini! quid me fiet, Regina misericordiæ, cum tu plena sis ærumnis, & unigenitus tuus coronetur spinis, ego autem sim plenus vanitatibus & commoditatibus! adjuva me, Domina, spes mea: impetra mihi lumen ad cognoscendum amorem hujus Domini, ut imiter eum; & odium mei ipsius, & omnium, quæ ab illo me separant: & voluntatem patiendi aduersa, quando volet ea immittere: quia ipse esse non possum sine spinis & cruce: neque tu me agnosces pro tuo, si alia signa gestauero, & aliâ viâ incessero. Juva, Domina, istum pauperulum, qui ad pedes tuos prostratus petit misericordiam, lumen & gratiam exeundi è suis malis, & amorem,
qui

qui mutet me totum, faciâtque verum imitatore[m] Filii tui, ac ser-
vum tuum.

O Incolæ sanctæ ac cælestis civitatis, qui clarè videtis va-
lorem ac pretium spinarum Domini, & egestatem eorum, qui
non vivunt, neque gloriantur de illis! miseremini hujus pauperis,
peregrini, proscripti à vestra gloria, & qui procùl abest à simili-
tudine Domini. Impetrate mihi unum radium hujus lucis, qui
me illuminet, ut semper videam hanc veritatem & adorem; &
enam scintillam vestri amoris, ut eam semper amem ac sequar.
Amen.

ÆRVMNA XL.

Christus irridetur, & exhibetur spectandus
populo.

I.

Iudæi, ut Christum afficerent omni contemptu, *IESVS ut*
spinis coronatum in purpura cum arundine in manu *sic tunc Rex*
dextera collocârunt in medio, ut velut Rex fictitius *irridetur,*
haberetur ludibrio: quæ omnia gravissimum illi do-
lorem creârunt. Spinæ pûngebant: vestis tametsi purpurea, sua
tamen vetustate ac fœditate pudefaciebat: manus ligatæ monstra-
bant impotentiam; arundo vanitatem & inconstantiam. Virga
aurea, quam Reges gestare solebant, levata iram, demissa clemen-
tiam indicabat: per arundineum sceptrum Christi voluerunt osten-
dere, non esse, quod speraretur, vel timeretur ab hoc Rege. Sed
alia longè Spiritus sanctus, cujus nutu dirigebantur, per ea docere
nos voluit. Nam obsoleta chlamys coccinea significat, nihil tam
vile esse in Christo, quo non tegi possimus atque defendi. Si enim
quædam solo tactu fimbria vestimenti ejus liberata est subitò ab
infirmirate diuturna; quantò magis tota chlamys Domini juvabit
miseros, confugientes sub umbram illius? Corona licet rigidi &
inclementis metalli, multos tamen & magnos ei subjecit, qui inter
acerbissima quæque perstiterunt in fide & obsequio sustentati ac
sublevati ligatis manibus ejus. Cùmque ipse ut Rex peccatorum &
male-